



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

xv. De Immunitate Ecclesiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

git: sed si ipsemet eam maiore in se transfecurauerit, vtraque carebit. Hic enim manifesta apparet fraus, quæ regi non potest.

a c. fin. in 6.

b c. i. in 6.

Sciendum est etiam summum Pontificem renunciare posse.

DE IMMUNITATE
Ecclesiarum,

TITVLVS XV.

Vt Clerici diuinis commodius vacare possint, aduertunt Canonicæ leges, ne vlla eis onera per laicos imponi possint, sed ut ab omni grauamine & tributo immunes custodiatur, omniaque eis prouilegia indulgeatur, propter quæ ab omni vexatione securi, vni Deo omnem operam suam colendo nauare possint.

Quapropter plena personarum, & rerum suarum immunitate à laicis perfrui debet: ideoque ex Concilio Lateranensi sancitum est, ne secularis potestas vllum onus, vel tributum clericis, aut Ecclesijs imponat: quod si non seruarint, & moniti non destiterint, ipsos, eorumque fautores à Christianorum communitate exterminat, nec prius restitui eos permittit, quam Clericis eo modo læsis integre satisfecerint.

Permittitur tamen ab eis aliquid percipi, vbi maximam necessitatem, vel evidentem Ecclesiæ utilitatem viderint, cui rei secularium facultates nequaquam satis

fuisse futurae: idque cernentes Episcopi & Clerus subueniendum ei iudicant.

c. non minus.

Constitutiones autem & sententiae contra supra dicta factae, inanes & irritae esse decernuntur, nec supra dicta excommunicationis poena solutus quis erit, quamvis post legem violatam, poenamque admissam officium deposuerit, nisi satisfecerit, eademque poena etiam successorē devincit, nisi damnū à predecessore suo illatū intra mensem restituerit.

d c. aduersus.

B

Quod cum ab Innocentio III. in generali Concilio statutum esset, eius constitutione Alexander III. constitutione promulgata non modo approbavit, sed etiam amplificavit, ut ex ea percipi potest. Postea Bonifacius VIII. declaravit, leges supra dictas contra collegium, vniuersitates, personasque singulares cuiusvis dignitatis, aut conditionis extendi, quicumque ab Ecclesijs aut Clericis pro eorum personis, aut rebus, aliquid vectigalis, vel portorii nomine, seu cuiusvis alterius tributi titulo exigere ausi fuerint: poenamque addidit interdicti, vel excommunicationis, legis violatoribus: quos ita interdictos, vel excommunicatos publice pronunciarum Episcopus curare debet.

e c. i. de immu. Eccles. in 6.

f c. quando de censib. in 6.

g c. cler. present. de censib.

Sed cum ex Innocentiana lege quaedam quasi anxia laicis Principibus oblata videretur clericis & Ecclesijs expilandi hac spe-

cie, quòd eorum Laicorum necessitas postularèt, vt à Clericis suppetias expectarèt, vel quòd Clerici eas vltro offerrent, atq; ita laici Principes efficerent, vt clerici metu impulsì eorum nui tanquam necessaria voluntate impulsì obtemperarent, tributa laicis Principibus frequenter pendentes, idcirco vt huic astutiæ obuiam iretur, edixit idem Bonifacius, vt quicumque Prælati, vel Ecclesiastica personæ religiosæ, vel seculares cuiusvis nominis, vel generis tributū laicis soluerint, aut promiserint absque authoritate sedis Apostolicæ, sententiam excommunicationis incurrant^a. Quā Bonifacij constitutionem cum Benedictus XI. declarasset, ad eos non extendi, qui spontè soluisent, aut qui à spontè soluentibus accepissent^b, Clemens V. vt primū ad sedē Apostolicā assumptus est, decreuit Bonifacij constitutionē cū declarationibus Benedicti, & quicquid earum causa sequutū esset, revocari oportere, & pro nullis & infectis haberi, vtq; omnino Lateranense & generale conciliū seruarentur in his, quæ de hac materia statuerunt^c.

^a ca. clericis. de immu. eccl. in 6.

^b Extrau. de immu. Eccl. c. 1.

^c de. uni. co. tit.

^d c. 1. de immu.

Hæc quoq; inter Ecclesiastica priuilegia cēsentur, quòd in Ecclesiasticis domibus laici iudices, neq; iudicare, neq; hospitium quærere possunt^d. & præsertim causæ, quibus de sangui-

ne, vel pœna corporea tractatur, in Ecclesijs, vel cœmiterijs agitari prohibentur^e. Item liber homo ad Ecclesiam confugiens non est ab ea ad mortem, aliāve pœnam corporeā trahendus, quòdcunq; crimen patrarit, nisi vel publicus latro sit, vel nocturnus agrorū depopulator, quive itinera frequentata, & vias publicas obsidet, insidijs in viatores paratis. Hi enim ab Ecclesijs extrahi possunt immunitatis securitate nō prestita^f. Ecclesiæ quoq; non consecrata, quæ propriè Basilica appellatur, dum in ea diuina officia celebrentur, eadem immunitatis priuilegia tribuuntur: quæ diuinis obsequijs dedicata nullius est temerarijs ausibus prophananda^g. Si quis tamē delicti impunitatē ita se consecuturum sperans, homicidiū, aut membri mutilationē in Ecclesia ipsa, vel eius cœmiterio patrare ausus fuerit, quæ nisi ab Ecclesia, in quam confugit, defensum se iri sperasset, non fuerat commissurus, tam impio homini Ecclesia nulli adiumento, vel præsidio, esse debet: frustra enim legis auxiliū implorat, quæ eā violat^h. Et hæc quidem sunt immunitatū species, quibus Ecclesiæ Ecclesiasticæq; personæ profuuntur, & si quæ præterea sunt, ex latioribus Decretalium Epistoliarum, aut Decretorum voluminibus petendæ sunt.

^e c. cum Ecclesia Dei.

^f c. inter alia.

^g c. Ecclesiæ in qua.

^h c. si.

Non

Non tamen ita plena immunitate perfruatur, quin & ipse interdū aliquid oneris ferre cogantur: nam & à murorum custodijs magna imminente necessitate excusationem non habent^a, & onus procurationis, quæ prælato visitanti persoluitur, effugere non possunt: quæ de re supra à nobis, quātum ad rem necessarium esse duximus, tractatum est^b. Item si quis ab initio cum Ecclesiam fundaret, vel suis opibus locupletaret, ut eius patrociniū nancisceretur, aliquos sibi redditus Episcopo annuente ab Ecclesia illa referuarit, non licebit illi Ecclesiæ hoc oneris detrectare^c. Quod non minùs procedit, si res ali-

^b sup. tit. de procurat.

^c præterea quoniam de iure patro.

^d c. quanto. de censi. c. procuraciones. de censib. q. 1. c. si quis laicus. gl. de. 1. ucr. solita. de censib.

quod onus habens annexum à laicis ad Ecclesiam trāsferatur: onus enim suum rem sequetur, & Ecclesiam quoque tenebit^d. Decimarum quoq; Romano Pontifici soluendarum onus Ecclesiam interdū adstringit, sed frequentius ipsi Ecclesiæ à laicis decimæ soluuntur: de qua re mox subijciemus.

DE DECIMIS, TITVLVS XVI.

Decimas à Populo sacerdotibus ac Leuitis esse reddēdas, diuina sanxit auctoritas^e. His enim verbis præceptum diuinum emanauit, Decimas primitias non tardabis

^e c. decimas. 16. q. 1.

A offerre^f.

Sunt enim Decimæ egentium animarum tributa, quas si quis dederit, non solum vbertatem fructuum recipiet, sed etiam corporis ac animæ salutem consequetur^g.

f Exod. 22.

g c. decim. 16.

q. 1.

Et Decimæ, vel prædiorum, quæ aliquis possidet, ratione debentur: vel propter lucra ex hominis industria & opera quæ sita. Et hæc Personales decimæ appellantur, illæ Prædiales.

Soluuntur autem decimæ de fructu omni prædiorum, de fœno, lana: de proventibus molendinorum, etiam eorum quæ vêtoto impelluntur: de Piscinis, apibus^h, vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, de militia, de negotiatione, & de omnibus denique bonis.

^h c. proueniunt. c. nunt. eod. tit.

Et ad eas soluendas censura etiam Ecclesiastica cōpelli quis potestⁱ: idq; simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicij^k.

ⁱ c. non est. c. seq. c. ex parte.

^k c. de dispensatione. de iudic.

Hoc autem differunt decimæ prædiorum à Personalibus, quòd in Decimis Prædialibus soluedis nullæ deducuntur expensæ^l: nam neque semen, neque sumptus colendo agro facti ante decimas capi possunt^m, nec impensæ pro reparanda re factæ ex fructibus, vel pensionibus, detrahuntur, veluti expensæ domui, aut molendino, aut similibus reficiendis, vel farciendis. Item si sumptu melior factus sit

^l c. ex parte. et c. non est. in fin.

^m c. tua nobis.